



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Horoscopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Pud Philologos hieroglyphicum verecundiæ os videtur esse, unde de impudentibus dici solet, *Hinc illa figura quo ore audebis patrem adire. Et os infrant.*
eos os non habere. Hinc Cato Major Lentulo, qui sputum in ejus faciem ejaculatus fuerat, ab-
terfa tantum facie dicit: *Affirmabo omnibus Lentule, falli eos, qui te negant os habere, argute vulgatam*
hominis impudentiam notando, quamvis de sputi copia dicere videretur.

AMOLITIO. CAP. XLVIII.

NEquè nescius sum pro amolitione, ut ita nunc dicam, veteres expuendi gestum usurpasse, ut
Theocritus, *ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρεῖν εἰς ἐμὸν ἐπιυσα κόλπον*: & multa apud alios hujusmodi,
quæ recitare superfluum esset. Nam quæ maxime abhorrebant, quæque opprobrio habebant, ea i-
gnominia designabant. Quin & veteribus Christianis mos fuit, estq; adhuc, ad immunda verba ex-
puere, quodam veluti expiationis modo. Ita illud apud Tertullianum lib. ad uxorem altero, accien-
dum: *Cum aliquid immundum flatu expuis.*

HOROSCOPIUS. CAP. XLIX.

Sed ut os tandem comprimam, uno adhuc hieroglyphico illud obturabo, quod apud Horum Ni-
liacum habetur, ut super cibo aliquid attingamus. Nam illic per hominem, qui horas comedat, *Quomodo horas co-
medere in-
telligatur
homo.*
hieroglyphicum explicari tradunt horoscopum intelligendo: non quia horas comedat homo, quod
fieri minime potest, sed quia ab horis alia atq; alia humano generi alimenta subministrantur. Hujus
modi vero horarum partium commode forte exprimere poterimus, si ex uniuscujusq; horæ proven-
tibus aliquid decerpserimus: puta, rosas, spicam, & pomum aliquod, quæ in unum fasciculum colliga-
ta, ori adaperto admoveantur. Horas porro hic intelligendum tres eas anni partitiones, quæ suo
quæq; tempore singula maturant: ver quippe, astatem, autumnumq;: quæ tempora Ægyptii, quatuor
unum quoq; mensibus nostris complexi sunt, ex Hori Regis partitione, à quo his etiam nomen
Horis inditum, ut quadrimestris esset unusquisque eorum annus, de quo diffusius alibi. Quin Persæ
atq; Assyrii, quos nos Annales, Horas vocitarunt, & Græci Horographos eorum scriptores. Apud Lu-
cianum enim legimus, *ὁ μὲν κλεῖθ παλαιὸς τῶν περσῶν βασιλεὺς, ὡς δηλοῖσι οἱ περσῶν καὶ ἀσσυρίων
ἕγου.* Cum vero Horus ab Ægyptiis Apollo esse prædicetur, nostri una cum Græcis nomen idem ad
quatuor & viginti horas transfulere, quas Solis esse filias Homerus dicit, de quibus, ut hoc *καὶ πάρεξ-
ρον* ponam, veterem habemus fabulam: Horomazen, cum in mundi fabrica reliqua digessisset, quatuor
& viginti deos in ovum inclusisse. Id cum Arimani gnatulo perforasset, bona malis immixta
prodiisse: atq; ita quantacumq; fruamur jucunditate, quocumq; simus gaudio exhilarati, ferus quid
vesper vehat, nos nescire. Hic cum finem facere visus esset Leoniceus, ad inclinatum jam Solem a-
spectans Ranerius: At nos, inquit, quid ferus vesper advexerit probe scimus, qui bonam hujus diei
partem tam jucundis sermonibus exegerimus. Utinam vero sæpe daretur occasio istiusmodi con-
ventus celebrandi; & cum dicto, salute dicta surrexit, quod & alii fecere, die prius constituto, quo i-
terum essent conventuri: illi domum, ego in navim abii, mox Florentiam, quo fueram, ut scis, per Ju-
lii Cardin. domini mei literas accersitus, atq; ibi primo quoq; tempore, tam ea, quæ ex te audieram,
quam quæ viri illi eruditissimi disseruissent, quæque convenire mihi visa sunt, in commentaria mea
Ægyptiaca transtuli, vestra ope fretus, & latius & plenius explicandi multa quæ curta & angusta ni-
mium compereram apud authores posita: neque vero sinit me temporis brevitatis, quæ quisque di-
spulasse ad amissum dirigere, & ipsa quæ audissem verba repræsentare, quod nonnulli ex amicis à
me postulabant: id enim negotium multum mihi temporis abstulisset, nec meæ me occupationes id
facere permisissent. Satis igitur à me factum puto, si res ipsæ breviter, quantum memoria complecti
potui, recitatae sint. Verum æge, benignissime Patruæ, Aristarchum indue, atq; hunc castigandi labo-
rem minime gravem ducat, quæque me recte meminisse compereris, asterisco insignias, quæ segniter
& oscitanter excepta, obelo defodices: ut ego hæc aliis communicaturus, iudicio adjutus tuo, au-
dentius id facere confidam. Vale.

